



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 69. Burgundi conjuratio in Connestabilis perniciem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. possent, quasdam urbes minus nobiles  
 A.C. 1475. concedere vellet; nomine autem harum  
 urbium insinuare volebant aut Eufium,  
 aut S. Galerici oppida. Rex sat contentus,  
 quod coepti consilii telam rite texisset,  
 simulque Contayus omnia, quæ Conne-  
 stabilis tam per se, quam per suos Depu-  
 tatos dixisset, suis auribus percepisset, sine  
 omni verborum offensione utrumque Le-  
 gatum dimisit, eisque hoc duntaxat in  
 responsis dedit, „ ad fratrem nostrum  
 „ (Connestabilem intelligebat) mitte-  
 „ mus Legatos, qui eidem animi nostri  
 „ consilia aperient.“ His dictis eos va-  
 lere iussit.

## §. LXIX.

*Burgundi conjuratio in Conne-  
stabilis perniciem.*

Legatis abeuntibus, Contayus indignatione commotus, jam omnis moræ impatiens erat, quin cuncta, quæ proprio aurium testimonio perceperat, protinus Burgundiæ Duci referret. Nec ad id prompta illi defuit occasio; quippe a Rege ad Burgundum Legatus decernebatur, literis publicæ fidei instructus. Dux re comperta ab illo temporis puncto in Connestabilis exitium jurabat, ac cum Ludovico XI. conferre, necnon novem annorum inducias pacisci statuit, easque paulo

paulo post Verbini mutuo utriusque con-  
sensu firmavit. Jam communis omni-  
um in Connestabilis interitum conflata  
erat conspiratio, & hunc tandem fune-  
stum exitum habebat sagax ad fallendum  
hujus Viri ingenium. Postea Eduardus  
Galliarum Regi omnes, quas a Conne-  
stabili accepit, literas communicabat:  
alias eidem submittebat Burgundiæ Dux.

Sæcul. XV.  
A.C. 1475.

## §. LXX.

*Connestabilis securitatis literis per Bur-  
gundiæ Ducem munitus ad Mon-  
tes profugus.*

Connestabilis cum fabam, quæ in eum  
cadebatur, edoctus esset, ac probe  
cognosceret, quod Ludovicus Rex colle-  
ctis copiis eum in oppido S. Quintini ob-  
ruere moliretur, hinc in tantis angustiis  
deprehensus, a Burgundiæ Duce securi-  
tatis literas petere decernit, easque ob-  
tinet. His munitus ad Montes Hano-  
niæ se recipit: iniquissimo tamen sui fa-  
to; quippe Verbiniensis fœderis legibus  
inter Regem atque Burgundum conven-  
tum erat, ut quiscunque eorum prior  
Connestabilem comprehenderet, illum  
proximis octo diebus aut ipse morti, aut  
alterius potestati traderet. Quare Ludo-  
vicus vix comperto fugæ loco, septingen-  
tis aut ferme octingentis lanceariis sti-  
patus